DE FEBRI INTERMITTENTE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. JUNII A. MDCCCLX. 1860

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

PAULUS POHL,

LUSATUS.

OPPONENTIBUS:

PISCHEL, CAND. MED. ET CHIR.

RICHTER, CAND. MED. ET CHIR.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE ROBERTI LUCAE.

PATRI

CARISSIMO, OPTIMO, DILECTISSIMO

ADOLPHO FOHL,

AD CINERES USQUE COLENDO.

PIETATIS GRATIQUE ANIMI DOCUMENUM.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Mihi multa de febri intermittente legenti numquam perspicuum atque lucidum fuit, ex qua origine febris intermittens oriatur nec minus, qua conditione periodicitas hujus morbi exsistat. Multi viri illustrissimi et de intermissione febris jam scripserunt, quorum altera pars, quantopere possit, veram causam periodicitatis ad lucem proferre studuit, altera autem omnino falsam sententiam instituit. Propositum mihi nunc est colligere, quam multas opiniones, ex quibus verisimilem vel optimam eligere volo.

Viro autem celeb. Dr. **Rademacher**, qui, ut febrim intermittentem in homine ipso observare et curare potuerim, benignissime me ad juvit, ex intimo animo gratias ago, quam maximas. Abs te vero, lector benevole, peto, ut hoc de libello indulgenter et benigne judices et has studiorum meorum primitias esse memineris.

De febri intermittente.

Litteratura.

)e febris intermittentis origine, vi et sanatione multi jam nulta scripserunt, sive totos de isto morbo libros et tracatus conscripserunt sive opera de pathologia universali cribentes multum in isto morbo describendo et tempus et patium consumserunt. Ex iis auctoribus, qui cum de norbis periodicis, tum de febri intermittente libellos comosuerunt, hosce enumerare mihi liceat: Torti (Francof. et ips. 1756), Werlhof (Hannoverae 1745), Senac (Amstelolami 1759), Medicus (Carol. sed. 1764), Truqa de Krzoritz (Viennae 1775), Grainger (Lips. 1785), Thomson (Lond. 787), van Hoven (Winterthuri), Alibert (Par. 1798, 5. edit. 820), Sebastian (Carol. sed, 1815), Bailly (Parisiae 1825), chneider (Tubingiae 1826), Bakker (Cat, 1825), Kremers ach. 1836), Bondin (Par. 1842), Bonnet (Par. 1853), Jacquot 1854), Frerichs (Vratisl. 1855), Wright (Lond. 1812). Acedunt qui multa et quidem gravia ad doctrinam de febribus ntermitt. attulerunt in quibus: Raier, v. Schönmetzler, Molior, Hoffmann, Delius, Eller, Wedel, Störk, Sydenham, Huxam, van Swieten, Morton etc.; nec minus in omni opere le morborum pathologia et terapia multa et gravia de febri nterm., quae opera omnia enumerare longum est. Id, quod x his operibus ad libellum meum pertinet, apto loco aferam.

De febris intermittentis natura.

Febris interm. in morbis periodicis est numeranda, certa nim morbi signa exoriuntur, quae quum per aliquod temus perduraverunt tum cessant, mox autem secundum morbi ypum certo ordine et tempore revertuntur. Singuli febris npetus (paroxysmi) quos cessantes semper excipit status

febri carens, secundum illud Sydenhamii dictum compendium quoddam febris continuae esse videntur, Quare et singulae accessiones per se sunt investigandae et omnium ordo, hoc et totus morbi cursus exquirendus est. Impetus autem singuli et morbi cursus tantas praebent varietates, ut sententiae de febri interm. maxime inter se distantes pronunciatae sunt. Quarum duabus viri doctissimi ita faverunt, ut morbi principium movens alteri in sanguine, alteri in nervorum systemate in esse contenderent. Sed priusquam has sententias viri maxima in medicina auctoritate praediti tulissent, causa quaedam morborum certo tempore recurrentium mira et singularis proferri solebat, eoque falsa, quod morborum periodicorum causa cum natura ipsa confundebatur. Alii de tactu lunae cogitantes ipsa eadem ratione in corpore humano morbos efficere rati sunt, qua aestuum accessum et recessum commoveret. Ex aliis Meadi sententiam proferam, qui in libro: De imperio solis atque lunae inscripto demonstrare studet, quantum ista astra valeant ad hominum corpora. Operae pretium est demonstrare, quid venti si ejus sententiam sequi possumus — in corpore afficiant. Illam opinionem de accessu et recessu aestuum secutus, Meadus censet, ventos tempore recessus et accessus vehementissime flare, inprimis autem meridiano tempore et media nocte quando sol et luna lineam meridianam transgrediantur, aquilonem exoriri, quem venti auctum atmosphaerae accessum sive fluctum appellat. Corpori autem vivo quodam genere aëris gravioris opus esse, quod si illis temporibus bis magnopere extenuetur, intrare in pulmones aër leviorem, quam qui sanguinis circulationem ordinatam efficere possit, si quidem sanguinem vi minore in atrium cordis impellat. Sanguinis igitur circulatione retardata minus liquoris nervorum, quam alias, secerni putat. Sed nervis ob aliam quoque causam victum non sufficientem praeberi contendit; deesse enim censet aëri illi tenui illam vim recellendi, quam habeat aër necessariam ut, vesiculis pulmonum rite extentis vasa capillaria pulmonum premantur circulatioque sanguinis augeatur. Quem aëris pressum necessarium recte eo demonstrat, quod in montium altorum verticibus non sine molestia quadam respirare possumus. Neque vero haec res momenti est, quum de febri quaeramus, quam vel rarissime incolas montium altorum aggredi constat. Sequuntur eorum sententiae, qui vim et causam „periodicitatis“ in corpore ipso ponunt. Ex his Medicus, cujus

opus supra commemoravimus, contendit, sedem et causam morborum periodicorum in natura nimis irritabili primarum viarum esse quaerendam; nec tamen, quî ipsae cum periodicitate morbi cohaereant, demonstrat. Causam alteram eamque, ut ait principalem, bilem esse, statuit, eique inesse acre quiddam statuit quod, ut demonstrat bilis nigrae facit mentionem. Ceteras, quas profert causas: inque iis pituitam, tum cibo concoquendi difficultatem denique vermes, quorum ei, quem Taeniam vocamus, maximum vim adjudicat omittere nobis liceat. Magis naturae congruunt eoque plus valent eorum sententiae, qui naturam morborum periodicorum ponunt in sanguine enormiter mixto, scilicet in chemica compositione sanguinis a norma abhorrente et eorum, qui systema nervorum arguunt concitandi illos morbos. Illorum virorum primum commemoramus Willisiam, qui confirmat, singularem quandam fermentationem sanguinis effici, ut succus ex cibo secretus quem sanguis receperit nec tamen satis sibi similem reddiderit, aut superetur, aut secernatur. Proinde Sydenham (Opp. medd. Tom. I. Sect. 1. Cap. 5. pag. 46) putat febrim intermittentem nihil aliud esse nisi despumationem materiae vitiosae, quae quum in sanguinem intraverit febris accessionibus non statim omnis secernatur, cujus igitur pars relicta iterum crescens novas efficiat accessiones. Neque aliter Vogel (Handb. B. I. Cap. 2. § 21) paroxysmos explicat haec dicens: quavis accessione praeterlapsa pars materiae febris restat, quae fermentatione quadam denuo augetur et novas accessiones commovet, donec materia plane cocta omnis secernatur. Alii medici non minus meriti primam sedem febris intermittentis in nervis quaesiverunt. Quam doctrinam inprimis adhibuit Fridericus Hoffmann (Diss. de vera motuum febrilium indole et sede) qui haec dicit: causa corporea et febris intermittentis et multarum aliarum febrium acritudo quaedam caustica et efficax est, quae partes interiores corporis easque ad modum irritabiles cogit ut in modum spasmi moveantur. Hic humor acer praecipue in vasis biliferis et in curvationîbus intestini duodeni gignitur, ubi bilis et salina et acidus liquor glandularum ventriculi, fortasse ipsa jam corrupta, miscentur cum crudidatibus ciborum male concoctorum et fermentant cum illis et, quod non tempestive expelluntur, naturam excipiunt pestiferam. Quae materia quum per vasa chylifera in sanguinem illata per omnia vasa secernentia movetur, necesse est efficiat partium

nervosarum spasmum universalem, qui primum impellit sanguinem ad majora vasa intestina et ad cor. Vehementiore autem eorum motu systaltico exorto, sanguis omnes liquores majore vi moveri incipiunt, quare obstipationes minorum vasorum removentur. Tum spasmus cessante vasa secernantia relaxantur, materia febrilis per foramina cutis simul cum sudore aut exhalatione abducitur, accessio febris finitur, usque dum materia iterum collecta sufficiat ad novum paroxysmum concitandum. Quae descriptio multis rationibus congrua naturaeque conveniens ita continet, ut et judicium rectum proponatur et liqueat, quomodo materiae humorales pertineant ad systema nervorum, Hufeland (Enchirid. med. p. 139) ait: Sola periodicitate fit, ut febrim appellare possimus intermittentem. Quare quia periodicitatis causa systemate nervorum nititur, febris intermittens secundum naturam morbus nervorum est. Causa autem ejus et materialis est et formalis: illa scilicet causa febris, haec singularis status et anomalia systemtatis nervorum. Sprengel (Instit. med. Tom. VII. § 38) causam febris intermittentis collocat in imponderabilibus, quae insunt in systemate splanchnico male ductis et consumptis. Baumgärtner (Hndb. d. spec. Krankheits- u. Heilungslehre, Stuttg. 1842. § 133. pag. 68) eam partem e qua oriantur accessiones febris, systema gangliosum esse contendit maximeque systema nervorum abdominalium. Cui sententiae favent res, quae sequantur: 1) Saepe accidit ut primum organa abdominis morbo afficiantur, id quod prae ceteris causae occasionales efficere solent. 2) Haec organa morbo aggravante praecipue affici solent, nec non nascuntur vitia gastrica et placentae febriles etc. 3) Aegroti, dum morbo corripiuntur, saepe dolore quodam in regione scrobiculi oriente laborant, spasmum ac tensionem inde a media medulla spinali incipientem sentiunt ibidemque horrore tentantur. 4) Vesiculae circum os procedunt dolorque capitis raro abest, quae res saepe e malo gastrico exoriuntur, etiamsi febris intermittens non adsit. 5) Plurimos fortasse omnes morbos, qui certas periodos tenent e systemato gastrico oriri a viris doctissimis jam est demonstratum. 6) Remedia contra febrim intermittentem adhibita scilicet: chininum, amara, piper aliaeque materiae aromaticae, in quibus inest principium acre, plurimum valent ad systema nervorum abdominalium et commotionem permanentem in eo efficiunt. Schoenlein, qui eandem sententiam secutus primam sedem febris inter-

mittentis in systemate nervorum ponit, ipsam febrim describit in febrim intermittentem cerebralem et febrim intermittentem gangliosam. Periodicitatem ipsam Baumgaertner ex ea re deducere videtur, quod modo vasorum periphericorum effectus majorem vim exerceat, modo vasorum centralium plus valeat potestas. In apyrexia, Baumgaertner inquit actus vitales in systemate vasorum capillarium existentes jam minuuntur; calor corporis imminutus est, turgor vitalis exiguus exstat, labiorum et vultus color livior, quam consuetus adspicitur; frigore accedente partes interiores vasa dico systematis venae portarum tantopere sanguine replentur, ut interdum splen diruptus sit. Ardore autem sudore efficacitas vasorum periphericorum ita augetur, ut superet efficientiam vasorum ceterorum. Sudore finito centrum et peripheria in tempus idem valere videntur. — Frerichs febrim intermittentem morbum quidem nervorum appellat, sed compositionem sanguinis vitiosam dicit primariam esse, nervorum affectum secundarium. Griesinger (Handb. der spec. Pathologie u. Therapie Tom. II.) dicit: Periodicitatem febrium non esse positam in apparatu nervorum sed periodice in sanguine aliquid fieri, quod cum aucto calore conjunctum sit. Sunt quoque nonnulli, qui contendunt, febrim intermittentem oriri ex medulla spinali, quia frigus exeat a medulla nec minus quod febris interm. medicaminibus inmedullam adhibitis curata sit. Liceat, proferre sententiam, quae mihi vera rectaque videtur. Puto enim, materiam quandam in sanguinem pervenire, quae alterata sanguine in apparatum nervorum habeat talem effectum qualem in febri intermittente videmus. Qua natura haec materia sit, qua conditione febris in certis temporibus accedat, usque ad hoc tempus nemo ad lucem proferre potuit, quia effectus atque functio nervorum ejusque connexus cum sanguine et toto corpore non sàtis cognoscebatur.

Nonnulla de divisione febris intermittentis.

Febris intermittens secundum varias formas, quibus exoritur et secundum periodos temporis, per quas singulae accessiones repetuntur varia ratione divisa est. Medicus in opere, quod supra commemoravimus, morbos describit periodicos, ibique febrim intermittentem in morbis periodicis numerat. Medicus, qui omnes morbos, etiam singulis annis

vel majore temporis spatio praeterlapso revertentes, periodicos appellat, rem narrat, quae ob memorabilem naturam digna, quam afferamus, ut demonstrem, quod illi morbus periodicus sit. Res quam memorat pag. 176 libri, a Maroldio quodam observata et memoriae tradita est. Qui vir dicit, mulierem viginti octo annos natam, quum gravida facta esset post duos menses inter dolores ad partum et vomitum vehementem per os foetum bimestrem edidisse idemque ei mulieri in secunda atque in tertia graviditate accidisse, tum vero foetum frustatim esse evomatum. Vomitionem cruentam, quae temporibus non certe definitis reversa ab ulcere chronico effici videbatur, idem in morbis periodicis numerat (p. 126). Per quas sententias, quarum similes multae in ejus libro exstant demonstravisse mihi videor Medici sententiam de morbi periodicitate a vero aliquantum aberrasse. Idem in tractatu supra dicto nihil dicit de morbis intermittentibus larvatis. Morton jam antea intermittentem larvatam commemorat, qui diversos morbos periodicos esse contendit, in quibus signa consueta febris intermittentis frigus scilicet et ardor sudorque essent oppressa, ut neque e pulsu neque e reliquis symptomatibus febris intermittentis cognosci posset. Qaam febris intermittentis divisionem Medicus proposuerit, jam breviter exponere in animo habeo.

Classis primaria. Febres periodicae: Certis temporis spatiis interjectis morbus et sanitas in vicem succedunt.

Ordo I. Febres intermittentes cujus ordinis proprium est, singulas accessiones constare e frigore, ardore, sudore, pulsu frequente.

a) Febres intermittentes ordinariae, quae certa hora accedunt, certa decedunt.
   1) Intermittentes simplices.
   2) Intermittentes duplices et duplicatae.

b) Febres intermittentes postponentes vel ante ponentes, quarum accessio et decessio non certo tempore praeterlapso succedunt.

Ordo II. Febris intermittens perniciosa. Accessio aut per diu manet aut symptomata malignitatem extraordinariam indicat.

a) Intermittens duplicata. Accessio secunda incipit quum prima modo finita sit.

b) Intermittens comitata, quam casus perniciosus simul accidens malignam reddit.

Ordo III. Febris intermittens larvata. Accessiones certo temporis spatio relicto oriuntur, nec tamen febris perspicua exstat.

Quem ordinem nunc sequitur morborum periodicorum divisio similis divisioni febrium intermittentium. Unde liquet a Medico notionem „febris" nimis stricte in animo esse conceptam, eumque hanc ob rem febrim intermittentem nihil appellare, nisi morbos periodicos cum signis febris scilicet frigore, ardore, sudore, pulsu frequente conjunctos. Morbos enim typicos sine febri exortos morbos periodicos appellat. Simili ratione febrim intermittentem alii aliter diviserunt modo plus, modo minus ab ea divisione aberrantes, quam nostro tempore viri maxima in medicina auctoritate praediti proferre solent. Simplicissima autem divisio eademque maxime perspicua haec esse videtur.

I. Febris intermittentes simplices: Accessio e frigore, ardore, sudore, pulsu frequente constat, apyrexia perfecta est, paroxysmus certo tempore revertitur.

a) Typus quotidianus, si accessiones quotidie reveniunt.
   - α) intermittens quotiana duplicata, cujus accessiones binae exsistunt singulis diebus.

b) Typus tertianus, si ternorum dierum primo paroxysmus aggreditur, sequente deest, tertio iterum intrat:
   - α) intermittens tertiana duplicata, si quotidie febris accedit; altero autem die accessio non eadem hora, qua antecedente die aggreditur;
   - β) intermittens tertiana duplex, si uno die febris bis accedit.

c) Typus quartanus, si tertio die febris accedit:
   - α) intermittens quartana duplicata, die primo et quarto binae accessiones oriuntur.
   - β) intermittens quartana duplex: accessiones per duos dies revertuntur, uno die autem febris deest.

II. Febris intermittens larvata: Febris quidem non adest, sed quaedam morbi symptomata post intervalla quaedam animadvertuntur, quae intervalla autem non ita stato tempore revertuntur, quam in febri intermittente simplice.

III. Febris intermittens comitata sive perniciosa: Accessiones cum symptomatibus perniciosis conjunctae sunt, intervalla semper infebrilia observantur.

Qua divisione praemissa ea, quae de singulis febris intermittentis generibus graviora dicenda esse videntur, brevibus exponere studebo.

I. Febres intermittentes simplices.

Digestione antea turbata sive catarrho gastrointestinali antecedente interdum etiam quum hae molestiae non antecesserint paroxysmus accedit, cujus decursus in tria stadia dividi potest; quae nunc describere volo:

1) Stadium frigoris incipit cum horrore nunc exiguo, nunc vehemente, cutis pallet, cutis anserina accedit, vultus circum oculos lividus exstat, respiratio aegrotorum brevis, palpitatio cordis et languor percipiuntur, pulsus parvus idemque frequens, temperatura alia est, quam in statu consueto. Quod frigus per singulas binasve horas manet, tum paullatim decedit, denique sequitur.
2) Stadium caloris. Cutis laevis fit et turgescit, pulsus vehementior exstat, lingua siccescit, aegrotus multum sitit, respiratio non contracta, sed liberior lentior, gravior existit eademque fervescit. Solet etiam aegrotus capitis dolore affici, interdum scintillas prae oculis vagantes auriumque susurrum percipit, languoris sensum non amittit. Qui status postquam duas tres ve horas permansit decedit:
3) Stadio crisium. Tum cutis tractabilis fit et sudore tegitur, urina, quae purpurea adspicitur, postquam per aliquod tempus stetit, sedimentum deponit, languor desinit, dolores capitis minuuntur, sex horis praeterlapsis aegrotus se bene habet.

Quem paroxysmum denique tempus apyrexiae excipit, quae aut plane pura esse potest, siquidem omnes desunt molestiae, aut impura, si turbationes consuetae manent: lingua est tecta, dolores capitis non omnino desunt, catarrhus gastricus saepissime remanere solet. Ceterum quae accessiones vel frigore carent, vel ardorem afferunt perexiguum „fragmentariae“ vocantur.

Qua accessione modo a nobis descripta quotidie semel revertente febris intermittens quotidiana simplex vocatur,

sed intermittens duplicata si quotidie bis febris accedit, id, quod rarissime fit nec fere umquam nisi in febri hectica, quae omnino alia est atque febris intermittens. Sed saepissime fit, ut trium dierum secunda febri careat, quod febris genus omnium frequentissimum febris interm. tertiana simplex nominatur. Si vero die primo et tertio febris bis accedit, secundo autem deest, febris interm. tertiana duplicata appellatur, quae a P. Frank semel observata et pro varietate febris hecticae habita est. Aliud febris genus, in quo trinis diebus febris ter accedit, interm. duplex vocatur. In hoc autem genere febris accessiones, quae diebus imparibus exsistunt ab accessionibus dierum parium discrepare solent, inter se autem pares esse, sive vehementia, sive decursu, sive tempore aggrediendi, ita ut altera febris tertiana ex accessionibus diei primi et tertii et quinti, altera ex accessionibus diei secundi et quarti constare videntur. Quae vero tertia hujus generis varietas esse fertur scilicet ut primo at tertio die binae secundo et quarto singulae exsistant accessiones, appellata interm. tertiana triplex certo maxime dubia esse videtur.

Ultimum, quod descripturi sumus, febrium genus intermittentium febris interm. quartana vocatur et quidem simplex, si quatuor dierum duo febri carent secundus et tertius, primo autem die et quarto singulae accessiones observantur; si primo die duae, secundo tertioque nullae, quarto iterum duae accessiones fiunt febris quartana duplicata appellatur. Haec tamen febr. interm. quart. duplicata a P. Frank, quam multi ejus medici studio atque opera usi essent, numquam observata est. Quam vero intermittentem quartanam idem vir illustrissimus saepe curavit accedentem primo die et secundo, quarto et quinto etc., tertio intermittentem, eamque febrim intermittentem quartanam duplicem vocamus, quoniam ejus modi est, ut accessiones primi et quarti diei inter se conveniant, pariter atque accessiones diei secundi et quinti et hoc modo duae febres quartanae exsistant. Quae febres praeter illas observatae esse dicuntur, febris interm. quart. triplex, in qua accessiones primi et quarti, secundi et quinti, tertii et sexti conveniant et febr. interm. quart. triplicata, in qua primo et quarto die trinae, secundo et tertio nullae accessiones observantur, valde dubiae sunt; proinde ac febres sive quinque, sive sex, sive septem, sive octo, sive quatuordecim, sive quindecim dierum etiam febres menstruas et annuas, existere

contendunt, quarum auctores Burserius (Institut. Vol. I. pag. 142) et Medicus et alii.

Quo saepius hac ratione febris accedit, eo minus commoda valetudo hominis redditur; color oris pallidus vel luridus fit, circum labia, quae pallescunt lividaque fiunt, hidroa consensuale cooritur, quod siccatum parvulas relinquit crustas. Symptomata gastrica etiamsi ante accessionem nulla exstiterint, morbo decurrente exoriuntur, ita ut lingua tegatur et gustus interdum amarus reddatur. Febri continuante vires corporis delabuntur, neque ita raro status hydropicus sequitur. In universum febris non extemplo levatur, sed consueto tempore accessiones sive semel, sive saepius quoddam adhuc vestigium febris observatur. Postquam febris omnis levata est symptomata morbi, quae cum ea conjuncta esse solent, paullatim ultro evanescunt; immundiciae gastricae abducuntur, labia et genae colorem sanitatis recipiunt, vires reficiuntur.

Quidam dies critici dicti sunt a Hyppocrate, qui contendit, febrim tertianam post quinque sive septem, sive novem accessiones levari. Hunc secutus est Sydenham, qui studet demonstrare febrim quartanam per tantum tempus continuare, per quantum febris continua manere soleret; in qua demonstranda adeo dierum criticarum doctrinae favet, ut sententia ab illo prolata ad febrim intermittentem nihil valere debeat.

Pathologica anatomia.

Febr. interm. multorum organorum mutationes efficit eo validiores, quo diuturnior morbus exsistat.

1) In sanguine videmus corpuscula sanguinis deficere, albumen in sero sanguinis minui, pigmentum cumulari.

Graves etiam mutationes organorum glandulosorum observantur.

2) Splen quum inter frigus febriculosum intumuerit tempore crisium ad statum consuetum reducitur; accessionibus autem saepe revertentibus tumida permanet. Tum in eo exsudationes diffusae gignuntur, praeterea insplene foci inflammationis cuneati reperiuntur, in quibus cuneis inest fibrine lacunosa. Fere semper in splene materiae nigrae inveniuntur genitae ex secretione suffusorum corpusculorum san-

guinis, quae quo frequentiora suffunduntur eo magis et anaemia et hydraemia exoritur. Saepe frusta quoque avulsa per vasa abducuntur. Nec tamen semper splen major invenitur, sed si homines aetate provecto febriunt, spissus et solidus esse solet. In corpore vivo satis facile definitur percussione volumen splenis, quod nonnumquam adeo augetur, ut splen in excavationem diaphragmatis adscendat. Diametros ejus maximus exstat, parallelus costae undecimae et duodecimae. Si permagnus factus est, splen transversus in abdomine ventris jacet; saepe autem adeo crevit, ut descendat usque in cavitatem pelvis, quae intumescentia maxima febribus quartanis efficitur. Neque minus, quam splen tumescit:

3) Hepar, cujus intumescentia febri finita desinit; interdum jecus, plerumque in tropis, mollitur, postea jecoris parenchyma diffusis exsudationibus miscetur, metamorphosis amyloidalis interdum etiam scirrhosis nascitur, saepe pigmentum secretum reperitur. Capillaribus pigmento obstipatis paullo post jecoris atrophia chronica accedit. Jecoris secretio aucta est, in climatibus calidis saepe icterus accedit, qui partim e polycholia, partim e catarrho ductuum biliferorum exoritur. Praeterea hepar saepenumero laridum aut adiposum invenitur.

4) Renes rarius morbo afficiuntur, inter accessionem urinam pallidam secernunt partibus solidis carentem; tempore crisium urina fusca, pigmenti rubri plena est. In intermittente graviore crebro suppressio urinae sive albuminuria adest, pigmentum secretum in capsula Malpighii invenitur; non ita multo post infiltratum albuminosum redditur laridosum, quem statum appellamus renum steatosin.

In cerebro aliquando hyperaemia intensiva, in ejus vasis capillaribus pigmentum depositum animadvertitur.

Cutis per tempus frigoris febriculosi sanguine caret, musculi contracti sunt inter ardorem cutis rubra est, tempore crisium secretionem profusam praebet nonnumquam herpes sive pustulae similes exanthemati obducuntur, in cuti sudante facile gignitur miliaria, in cute sanguinolente petechiae et ecchymosae.

Aetiologia.

Causae febris interm. occasione datae variae exsistunt; plerumque atque saepissime efficitur miasmate exspirato et aëre humido; tum maxime endemica apparet. Sed praeter haec quoque aqua tempore non apportuno bibita, sive lac, melones, cucumeres, alimenta adipata, casei, pisces paene corrupti, si eduntur febrim interm. producere possunt, quae plerumque ad eos homines accedere solet, qui jam antea febri laborarunt. Affectiones animi, scilicet aegritudo, terror etc. interdum vim habent ad febrim efficiendam. Praeter omnia supra dicta dispositio quaedam in corpore quorundam hominum adesse videtur, qua febris interm. causa exiguis vel nulla antecedentibus afferi potest.

Diagnosis.

Si accessio impura est, febris interm. cum typho confundi potest, qui his symptomatibus ab ea discrepat: in febri intermittente frigus crebrum revertitur, in typho non spatio certo intermisso redit; in febri interm. pulsus raro plus nonaginta ictus habet, in typho fere semper centum et viginti; in febri interm. delirium jam primo die oriri potest, in typho semper postea; in febri interm. accessiones semper certum rythmum praebet, quod in typho numquam observatur.

Prognosis.

Febris interm. simplicis fausta est, nisi jam perdiu febris adest, infausta autem, si organa gravia morbo jam affecta sunt. Morbi, qui febri interm. finita exoriri solent hi sunt: Infirmitas corporis universa non sive facie cachectica, tumor lienis, hydrops praesertim anasarca et ascites. Insuper saepenumero observantur febri interm. levata molestiae concoquendi diu permantes, haemorrhoides, icterus, pustulae in cute, arthritis, nervorum morbi, hypochondria, hysteria, spasmi etc.

Exitus letalis in febri intermittente afferri potest: si cerebrum apoplexia afficitur, id quod praecipue hominibus sanguinolentis et apoplecticis evenire potest praesertim si ante accessionem liquores spirituosos sumpserint ex quibus enumero vinum adustum cum pipere, quod remedium efficax et in plebe consuetum est; vel si tempore frigoris febri-

culosi pulmones debilitantur sive sanguine nimis replentur; vel viribus per febrim interm. quartanam diutius permanentem destitutis, vel morbis perniciosis e febri exortis.

II. Febres intermittentes larvatae.

Quae quum statu proprie febrili dicto careant, ut supra diximus, a compluribus auctoribus in febribus intermittentibus non numerantur. Namque crebro fit, ut certis temporibus quaedam affectiones sive systematis nervorum, quod saepius accidit sive systematis vasorum appareant, per certum tempus recedant, tum vero ratione, quae est similis periodicitati febrium interm. denuo revertantur; nec tamen umquam ordinem eundem teneant. Hi morbi intermittentes observantur:

1) Neuralgiae, spasmi, paralyses; 2) Congestiones intermittentes; 3) Exsudationes intermittentes.

Neuralgiarum sedes plerumque in nervo trigemino sive in nervo supra — et infraorbitali posita est; praeter hos vero non tam raro in nervis intercostalibus, in plexu cardiaco, quae affectio appellatur „cardialgia", in nervo ischiadico, denique in nervis glandulae thymi; super haec accidunt saepe impetus sternutamenti continui, convulsiones membrorum singulorum, chorea; postremo paralyses, surditas etc.

Congestiones sive ad cerebrum, sive ad pulmones, sive ad jecur, sive ad splenem pertinent, saepissime neuralgiam comitantur; non raro ophthalmia intermittens accidit, quae facile potest proferre atrophiam bulbi; saepenumero haemorrhagiae pulmonum et haemorrhoides intermittentes animadvertuntur.

Exudationes in diversis membris perspicere possumus. De hoc morbi symptomate intermittente Medicus (Geschichte period. Krankheiten, Karlsruhe 1764) varia, magnam partem incredibilia exempla attulit.

Diagnosis morborum intermittentium maxime in periodicitate accessionum nititur.

Prognosis non differt ab hac febris intermittentis simplicis.

III. Febres intermittentes comitatae sive malignae.

Quaevis intermittens maligna fieri potest si una cum accessionibus symptomata graviora, ut rigor frigidus, convulsiones, coma, apoplexia accidunt, si febris accedit, quum jam alii morbi adsint, ut vitium in corde vel graviditas etc. Febris modo perspicue intermittens est, modo alias accipit formas, quae praecipue in iis regionibus observantur ubi Malaria magna intensitatis est e. c. in Taurica chersoneso, in Algerio, in Hollandia etc. Symptomata maligna haec sunt: Graviores cerebri et nervorum affectiones, dolores capitis vehementes, conjuncti cum vertigine vel delirio, nunc quieto; quae transeunt in lethargiam, soporem, postremo in comam; accedunt convulsiones modo partiales, modo universales et impetus epileptici et modo totius corporis modo ejus partis debilitatio. Aliis symptomatibus signatur febris algida, quae occurrit in cholera asphyctica. Tum aegroti pallent, extremitates frigidae et cyanosi affectae, aegroti de ardore conqueruntur, vox evanescit, animus vero plane sui compos est; cordis palpitationes vehementes oriuntur. Cujus generis febris exitus jam prima accessione letalis fieri potest.

Diagnosis: Accessionis certis temporis spatiis praeteritis orientes, simul cum morbis interm. similis generis hanc febrim indicant.

Prognosis: infausta est, praesertim, quum cerebri actiones morbo mox affiiciantur.

Therapia.

Febris intermittentis curatio constat e curatione accessionum et totius morbi et eorum, qui febrim sequuntur, morborum.

1) Curatio accessionum. In febri interm. simplice medicus facile, ut aegrotus tempore accessionum apte se gerat, qui frigore affectus ultro in lectulum se prosternere satisque lodice tegere solet; neque potionem calidam, infusum ullum spernit, sed in ardore refrigerari studet, remanetque in lecto, donec sudor desistat. Aegrotus moneatur, ne potiones nimis calefacientes sumat in frigore, quia facile congestiones ad pulmones sive ad cerebrum accedere

possunt, neve aegrotus anta accessionem cibo repleatur. Accessione omnino finita indusium vestisque stragula mutetur, in conclave aër purus imittatur. Sed si accessionem symptomata graviora comitantur, interdum opus est, ut plus curae aegroto adhibeatur; si frigus nimium exstat, diaphoretica dentur et cutis fricatur; sin congestiones ad caput vel ad pulmones nimiae perspiciuuntur derivantia reddantur, cataplasmata frigida imponantur.

2) Curatio totius morbi:

A. Secundum indicia causarum. Animadvertatur domicilium et regio, in qua situm est, aegroti negotium; aëre puro, sicco, minimeque corrupto aegrotus circumdetur, necesse est. Si pituitae sive bilis accumulatio febris causa esse videtur, emetica adhibeantur, quae omnino multum prodesse solent, si symptomata gastrointestinalia primaria sunt.

B. Secundum naturam et vim morbi. Multum de eo certatum est, utrum liceat febrim interm. post primam vel secundam accessionem supprimere, aut plures praetereant accessiones necesse sit, priusquam cura adhibeatur, id quod pristino tempore fere semper observatum est. Hufeland (enchiridio med.) haec dicit: si febris simplex est nec quidquam aliud atque gravius est respiciendum, quinque vel sex accessionibus praeteritis nec tamen prius detur sal ammoniacale, Flores chamom. roman., herba trifolii fibrini, Millefolii etc. Ut his medicamentis febris resistat vel ob alîam causam febrim celeriter opprimi necesse sit, tum chinae cortex remedium principale restat, quo febris quaecunque subito possit supprimi. Neque vero praeparata chinae secundum illius viri praecepta adhibenda sunt, nisi et ventriculus plane purus, nec lingua tecta sit et apyrexia omnino pura exsistat, nec febris complicata sit. Schoenlein duas conditiones febris profert: aut febris interm. in homine alias perfecte sano invenitur, tum vero statim ad finem perducere febrim licet 2) aut homo jam aegrotus febri tentatur tam vero non statim opprimi debet, siquidem homo jam morbo laborat, qui febri intermittenti adversarius esse videtur. In quorum morborum numerum refert: a) morbos petiginosos, b) tuberculosin pulmonum, c) neuroses abdominales ad exemplum hysteriam, cardialgiam etc., d) affectiones, quae pristinam intermittentem sequuntur, in quibus sunt placentae febriles et icterus.

Contra febrim diversa remedia adhibita sunt, quae specifica habeantur eaque certo ordine enumerare studebo:

1) Remedia aromatice-tonica. Ex his proposita sunt: chamomillae a Boerhave, radix calami aromatici pulverisati, radix caryophyllatae a Buchhave inter apyrexiam adhibenda, fabae coffeae viridis, cortex cascarillae, cortex granatorum, absynthium, radix colombo, myrrhe, cortex liriadendri tulipiferae a Hildebrand, herba centaureae, cardui benedicti, trifolii fibrini, lignum Quassiae, radix Taraxaci, cichorei, gentianae, gentianinum, quod Henry et Caventuon detexerunt, salicine detectum a Fontana. Chinae cortex, quae anno 1639 in Europam allata esset, anno 1679 a Roberto Talbor remedium adhuc arcanum Ludovico XIV. vendita est. Anno 1803 Duncan materiam propriam in cortice chinae inesse demonstravit, cui Comez anno 1810 consensit; sed hi viri utrum cinchoninum au chininum invenerint dubium est. Has autem materias vere disjunxerunt Pelletier et Caventon, uterque revera chinini inventor. Chinae cortex et quae ex ea extrahuntur materiae remedium specificum contra febrim interm. adhibendum praestant, quod omnibus aliis efficacitate antecellit. Chinae cortex, quum decocta et extracta non sufficiat, pura adhiberi solet. Majore efficacitate, quam pulvis corticis chinae, chininum et cinchoninum est; quorum remediorum plerumque in apyrexia gr. xv Chinini adhibentur, sive quinquies gr. iii, sive ter gr. v, sive paulloante accessionem gr. xv semel dantur. Omnes quae probantur chinini adhibendi rationes proferre longum est. Chinini loco, quod adhuc magni est pretii multi pari eventu tinctura chinoidini utuntur.

2) Remedia tonica-adstrigentia: Ex his prae ceteris ferrum ejusque praeparata: ferr. sulph., ferr. borussic. a Zollikofer adhibitum, bis terve quotidie gr. iv — gr. vi: in pulvere dantur; cuprum sulph. cum opia, alumen, zinc. sulph. etc.; e plantis: cortex hippocastani, cortex salicis, cortex fraxini, betulae albae, alni, pyri, mali, glandes quercus, gallae, rad. tormentillae maxime adhibentur.

3) Remedia irritantia aetherea: Vinum et spiritus vini, quae sola raro sufficiunt, aliorum reme-

diorum effectum augent. plantae, in quibus oleum aethericum inest; naphtae, castoreum, valeriana, radix serpentariae, phellandrium aquaticum, camphora, ammonium, ol. terebenthinae, ol. animale Dippelii a Verlhoff adhibitum petroleum, phosphor, quem non raro in casibus gravibus Hufeland adhibuit.

4) Quaedam remedia acria et irritantia: piper commune et quod ex eo praeparatur: piperine; illud cum vino adusto remedium populare est; quod, excepta chinae cortice, remedium validissimum; porro capsicum annuum; rad. pyrethri, flores arnicae, semina sinapis nigrae, taxus baccata, ipecacuanha in dosi parva, allium etc. Accedit huic: cali carbonic.. quod antea Morton, Grainger, Burkert adhibuerunt. nuper. Schneider denuo commendavit; venena acria: arsenicum et hydrarg, muriat. corrosivum, quae, quum nimis corpori noceant, repudianda sunt.

5) Remedia, quae augent secretionem organorum: Ammon. muriatic., sulph. aurat. a Theden et Selle commendatum, salia neutra purgantes, calomelas.

6) Emeticae materias noxas e corpore secernunt, remediorum effectum adjuvant, nervorum systema bene conquassant.

7) Opium jam antiquissimis temporibus contra febrim interm. datum est, multumque valet et purum et aliis medicaminibus ad mixtum in febri soporosa, quod mirum est, soporem tollere solet.

8) Antispasmodica pura: Hyoscyamus, Belladonna, aqua laurocerasi, nux vomica, faba St. Ignatii.

9) Irritamenta cutis: Hufeland duobus horis ante accessionem vesicatorium in regione stomachi injici jubet et commendat infricandum unguentum tartari stibiati, sinapismata etc.

10) Membra orbis instar funiculis circumdanda esse condendit Bourgery, quae res quomodo adhibenda et quid efficiat conferas ejus libellum; quod inscriptum est: Quelques faits sur l'emploi des ligatures des membres dans la plupart des maladies periodiques. Paris 1827.

11) Affectiones animi. Spes incitata multum valet ad febrim intermittentem curandum, item amuleta. quae phantasiam commovent, ira vehemens etc.
12) Albumen et gluten in tabulis a Seguino commendata adhibeantur, si, qui febri loborant, jam sunt viribus destituti.

C. secundum indicia casuum accedentium. Si in accessione quadam dolor capitis nimius est et per apyrexiam manet, materiae gastricae, quae adsunt, removendae sunt vel venae sectio est facienda, frigus nimium lenitur potionibus calidis vel opio. In febribus interm. perniciosis quam celerrime prohibendum est, quominus accessiones revertatur. Quare Chinini gr. xv paullo aute accessionem constituantur. Si accessio magno cum frigore conjuncta esse solet, opium detur, priusquam reveniat. In febri interm. nervosa praeter remedia modo commemorata etiam ea adhiberi solent, quae medentur typho et febri nervosae.

Diaeta in febri interm. observanda. Quae praecepta inter accessionem ab aegroto tenenda sint, supra dixi. In apyrexia aegrotus omnia evitet, quae accessiones possint reddere molestiores; ne bibat aquam frigidam. neve paullo ante accessionem nimis cibi sumat; vini boni vel vini adusti poculum bibat. Si interm. complicata est, diaeta secundum febris genus diversa habenda est; si febris interm. inflammatorio est, diaeta parca esto, nullum vinum bibatur; sin feb. interm. nervosa eadem, quae in febri nervosa servetur.

D. Curatio morborum sequentium. Quorum morborum permulti sunt placentae febriles et hydrops, utrique medentur chinae cortex et quae in ea sunt alcaloidae. Ad illas secundo eventu ferrum ammoniacale adhibitum est, maxime, quum magna adesset anaemia; in hac curanda sequens formula Petri Frank magno nomine est:

℞ Cort. chinae regiae ℥ß
coc. c.
Aq. font. ℥xii
ad reman. ℥vi
col. adde
Tart. depur. ℥i
M. D. S.

Nuper etiam, quum splen increvisset, non sine secundo eventu in regione splenis adhibebantur balneae quae vocantur „Douchen.“

Morborum historiae.

P. Buhr, vestifica viginti sex annos nata querebatur, quod per quatuordecim dies certo tempore horror quidam reverteretur, quem ardor et vomitus sequerentur. Appetitus ciborum exiguus fuit, lingua obtecta alba superficie, alous retardata. Epigastrium, quod aegrota doloribus affectum esse dixit, intumuerat, splen adeo creverat ut eum subter costis falsis contrectare possem. Menses per trimestre spatium non redierant uterique perspectio monstravit, aegratam in quarto graviditatis mense versari. Aegrota colore erat pallido viribus magnopere deficientibus. Febris quae quotidiana exstitit primum hora post meridiem quarta accessit, hora octava vesperi decessit, postea, quum anteponeret hora prima post meridiem accessit et prius decessit, quam antea. Quaevis accessio cum vomitu exorta est. Postquam aegrotae die Februarii duodecima sub vesperam emeticum dedi: Tart. stib. gr. i c. Sach. albi gr. x, die consequente hanc ei constitui mixturam

℞ Chinin. sulph. ʒi
Acid. sulph. gtt xx
Aq. Menth. pip. ℥v
Syr. cort. aurant ℥i

M. D. S.

et quum hora post meridiem quarta accessio immineret inde ab hora septima mane mixturae quaque hora unum cochlear horis duobus accessioni proximis bina cochlearia recipienda proposui. Accessio non reversa est, aegrota bene se habuit. Eadem hora diei sequentis nausea exigua perspiciebatur, nullum frigus; nec febris usque ad diem Februarii vicesimum revertebatur. Hoc die aegrota denuo vomitu laboravit post meridiem hora prima ejusdem igitur mixturae inde ab hora octava mane quaque hora unum cochlear recipiendum curavi. Accessio numquam rediit, molestia quaedam exigua permansit. Ut catarrhnm gastricum, qui nondum cessaverat, tollerem, constitui:

℞ Tinct. chinoid.
Tinct. rhei aquos. aa ʒi

cujus medicinae per binas horas viginti guttas recepit. Tum catarrhus gastricus remotus, aegrota plane restituta est.

II.

H. Böschel vestificus viginti sex annos natus nocte inter octavum et nonum Januarii diem repente sudore affectus est, qui per quatuordecim dies quacumqua nocte reversus aegrotum vehementer attrivit. Digestione turbata aegrotus alvo retardata laboravit. Nocte ab 23. ad 25. Januarii subito vehemens accessio febris interm. exorta est. Aegrotus primum maximo frigore affectus est palpitatione cordis, doloribus et compressione in epigastrico, doloribus capitis, inter gemitum et suspirium de sensa quodam constringente in pectore. Nullo adhuc remedio accepto subito aliquantum pituitae subviridis evomuit; mox cutis antea pallens colore rubro affici coepit, calidior evasit multumque transpiravit. Horis quatuor praeteritis accessio satis acriter exorta cessaverat, sequebatur infirmitas, quae per nonullas horas mansit.

Quum sudores animadverterentur febris interm. nondum cognosci potuit, chlor datum est et contra catarrhum gastricum, qui sonspicuus erat Infusum rad. Rhei; praeterea. Aqua Seltersi et saturatio e cali carbon. et acet. crudo constans; sed quum nocte inter 23. et 24. diem Januarii accessio tam perspicuis signis praedita evaderet, contra frigus, quod nimium esse visum est Spiritus Mindereri, contra molestias asthmaticas in pectore perceptas cataplasma sinapis in eo positum est quae remedia utramque molestiam magnam partem leniverunt. Tum accessio altera exspectabatur, quae nocte ab 26. ad 27. diem Januarii exorta est nec multo minus vehemens exstitit priore. Unde febris quartava cognita est. Aegrotus igitur die Januarii vicesimo nono chinini sulph. ʒi accepit, quodinde ab hora quinta post meridiem recepit. Accessio die XXX non revenit, dolor capitis, quamvis lenis, aderat. Postea accessiones nonullae quidem exiguae exortae sunt, febri tertianae similes. Catarrhus gastricus tinctura chinoidini cum tinct. rhei sublatur est. Usque ad tempus praesens aegrotus accessionibus non amplius laboravit, vires autem adhuc deficientes paullatim crescunt et ut non ita multo post omnino restituatur sanus. sperari potest.

VITA.

Natus sum Friedericus Guilelmus Paulus Fohl, fidei evangelicae addictus die XIV mensis Martis anno h. s. XXXVIII Lubani, oppido Lusatiae, patre Adolpho, matre Carolina e gente Baumert, quos deus per longum tempus incolumes mihi servet. Primis litterarum elementis imbutus adii gymnasium Lubanense, quod tum sub auspiciis viri celeberrimi directoris Schwarz florebat, nec non ad hoc tempus floret. Vere deinde anni h. s. LV testimonio maturitatis instructus hanc almam Viadrinam petii et ab illustrissimo Betschler illo tempore fasces academicos tenente civium academicorum numero adscriptus apud illustrissimum Frerichs tum gratiosi medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem nomen dedi.

Per quadriennium disserentes audivi viros illustrissimos, celeberrimos, experientissimos: Barkow, Betschler, Braniss, Cohn, Duflos, Frankenheim, Frerichs, Goeppert, beat. Gravenhorst, Grosser, Grube, Heidenhain, Landolt, Loewig, Middeldorpf, Paul, Reichelt, Roemer, Rühle.

In exercitationibus anatomicis illustr. Barkow, in clinico et policlinico obstetricio illustr. Betschler, in clinico et policlinico medico illustrissimi Frerichs, Lebert,

Rühle, in clinico et policlinico chirurgico-ophthalmiatrico illustr. Middeldorpf duces mihi fuerunt benevolentissimi et excellentissimi.

In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissimi me adjuverunt Exp.: DD. Cohn, Freund, Joseph, Langer, Marmé, Radermacher, Reinhard, Ressel, Stark, Valentiner, Weidner.

Quibus omnibus viris Ill. Celeb. Exp. ex intimo animo gratias ago, quam maximas.

Tentaminibus vero et philosophico et medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore ut dissertatione rite defensa summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

1. Hydrops non est morbus idiopathicus.

2. In ruptura perinaei statim adhibenda est sutura.

3. Optima curatio fracturae colli femoris positio est in plano inclinato.